This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

9
605

L h g. 605.

Ruhe, A. Quaestiones Horatianae

Diss.

Münster. 1873



QUAESTIONES HORATIANAE

QUUM

DE CARMINUM FORMA VENUSTA GENERATIM,
TUM SEPARATIM DE CARM. I, 22. III, 8.
CONDICIONE GENUINA INSTITUTAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXIV. MENSIS MARTI A. MDCCCLXXIII.

IN PUBLICO DEFENDIT

SCRIPTOR

ALFREDUS RUHE,
GUESTPHALUS RHEINENSIS.

MONASTERII,
EX OFFICINA ACADEMICA ASCHENDORFFIANA.
MDCCCLXXIII

Ch 9.605

1882, June 22.
Substitution fund.

V. D. CL.

FRANCISCO WINIEWSKI

AVUNCULO MAGNO SUO DILECTISSIMO

ET

PRAECEPTORI CARISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

S. E. V.

SCRIPTOR.

Praefatio.

Quum disputationem nuper legissem, quam Dr. F. Peters in libello annali gymnasi Monasteriensis a. 1870 „de compositione verborum in Horati carminibus" conscripsit, hac tractandi poëtae ratione magnopere oblectatus lubenti animo adhortationi, quam eius opusculo suppositam vidi, ut etiam iuvenes litterarum studiosi in inquirendis formae carminum Horatianorum virtutibus operam aliquam collocarent, obsecutus sum quaestionesque a Petersio institutas continuavi.

Neque erant minimum quaerendi incitamentum Peerlkampi et Lehrsi de Horati carminibus libri compositi. Quorum virorum sagaci quidem sed immoderata iudicandi ratione in scholis Seminari Philol. imbutus statim, ut eorum aliquot opinionum infringendarum caute ac timide periculum facerem, mihi proposui.

Hoc igitur duplex consilium in studiis, quorum primitias in medium profero, secutus sum, alterum ut eadem, qua Petersius processit via pergerem, alterum, ut forma carminum, novo quodam iudicandi argumento, usus iniusta quaedam Peerlkampi et Lehrsi convicia refellerem. Illum latiore, hunc angustiore dissertationis parte persequar finem.

Quum vero materia late pateat multique sit laboris, non possum impetrare a me, ut rem totam absolvere coner. Alia Hageluekenius et Arnoldius libris, quos infra dicam, et Dillenburgerus in editione Horatiana passim exposuerunt; alia, quae praesto sunt, in posterum tempus differam eaque tantummodo, circumscriptus libelli angustiis, eligam, quae ad finem propositum proxime tendunt, verborum figuras dico. Qua in re si, quae Petersius in lucem iam edidit, ea hac disputatione summatim recepi, velim ne vitio mihi vertatur, quum quod quis in litteris

invenerit, rem omnium communem ratus non aliena vindicare mihi, sed opusculum meum plenum atque perfectum emittere studuerim. Neque fugiet attente legentes, Petersi observationes, quas hic iteravi, in certum quendam ordinem digestas et novis ubique exemplis illustratas esse.

Libri, quibus praeterea nonnihil me esse adiutum ingenue profiteor, sunt hi:

1. Wendel „Vorlesungen über die horaz. Oden." 2 vol. Coburg 1822.
2. Hagelüken „De carminum Horat. elegantia." Progr. Münstereifel 1851.
3. Arnold „Die griech. Studien des Hor." 2 vol. Progr. Halle 1855—56.
4. Gruppe „Minos." Leipzig 1859.
5. Editiones Hor. curatae a Bentleio, Rittero, Orellio, Dillenburgero, al.

Complura, quae ad complendum opusculum apta aut necessaria mihi videbantur, suo quaeque loco intexui.

Quibus praemissis
Iam liber exiguus fugiat, quo cedere gestit.

Pars I.

Generale de Horatio poëta lyrico iudicium; enarrandorum carminum rationes.

Antequam ad rem ipsam aggrediar, nonnulla praefari libet, quibus tanquam defensione quadam utar, cur ad explicanda Horati carmina, rem tritam quidem illam, iterum animum viresque intenderim. Atque paucis quidem exponam, quodnam de Horatio poëta lyrico generale iudicium faciendum quasque interpretandi carmina rationes inde promendas esse censeam.

In sermone soluto Cicero, in oratione numeris devincta Horatius summum ascendit fastigium. „Testatur enim magna illa apud eruditos omnium aetatum homines gratia Horati, esse aliquid in carminibus eius, quod vel in maxima iudiciorum ingeniorumque diversitate omnibus delectationi esse potuerit; nitique mihi haud minime videtur in orationis, quam Petronius dicit (Sat. 118, 5.) „curiosa felicitate", in limata elegantique carminum forma." (Cf. Hagel.) Qua maiorem sane commendationem carmina habent nullam. Neque enim ignorabat Horatius, linguam Romanam felici qua est ubertate et gravitate orationis ornatui rhetorico admodum inservire, subtilique artificis animo hac praeclara patrii sermonis vi atque natura usus est. Quod quum de Horatio facimus iudicium, hoc semper tenendum est animis, ad lyrica tantummodo eius carmina nostram spectare sententiam. Namque ita inter omnes viros doctos convenit et hoc optimo cuique placuit, summam Horati virtutem poëticam non esse positam in animi mentisque vigore et alacritate, non in fecunditate ingeni, non in commotione fervida neque in eis poëtae lyrici affectibus, qui rebus tanquam infusi ipsius quidem proprios motus exprimant, unius cuiusque tamen animi commotionem reddant et eius quasi fidibus quodammodo resonent: sed in perfecta completaque

carminum compositione ac forma. Quam non cessant laudare viri litterati atque eruditi, quorum testimonia in eam, quam modo protuli sententiam, plane consentiunt. Velut Lessingius dicit:

„Es fehlt den Oden des Herrn Kramer der schöne, versteckte Plan, der auch die kleinste Ode des Pindar und Horaz zu einem so eigenthümlichen Ganzen macht."

Gesamm. Schr. tom. VI. p. 134. ed. Lachm.

Atque Goethius his utitur verbis: „Horaz besitzt dichterisches Talent in Absicht auf technische und Sprachvollkommenheit, d. h. Nachbildung der griechischen Sprache und Metra, nebst einer furchtbaren Realität ohne alle eigentliche Poësie, besonders in den Oden."

cf. Riemer „Mittheilungen über Göthe." II, 643.

Ut alios omittam, C. O. Muellerus, vir antiquitatis litterarum peritissimus, in hist. litt. Gr. I, p. 306. de Alcaeo disputans dicit haec: „Wie sehr tritt dagegen die Odenpoësie des Horaz in Schatten, der bei aller Feinheit der Gedanken und bewunderungswürdigen Kunst der Ausführung doch gerade das fehlt, was der Aeolischen Lyrik am wesentlichsten war, das im Innersten erschütterte, leidenschaftlich bewegte Gemüth!" — Bernhardyus denique (hist. litt. Rom. ed. 3. Braunschweig 1857. p. 521.) ita iudicat: „Horazens Versbau, der die römische Dichtung mit den schönsten Rhythmen, namentlich aus der Aeol. Melik bereichert hat, zeichnet ebenso sehr der Wohlklang, als die Strenge der Technik aus . . . Indem der Gang der Rhythmen mit jeder Stilart wechselt und sich in Einklang mit der Tonleiter der Darstellung setzt, steigert er die Wirkungen der Form noch durch mannigfaltige Gliederung und den grössten Wechsel in Interpunktion, die wiederum auf einer wohlberechneten Wortsstellung beruht und in den Oden sogar durch kühne Verschränkungen sich überbietet."

Ea autem mira carminum elegantia in his maxime cernitur rebus: in praeclara carminum compositione sententiarumque cohaerentia ac dispositione *), in pulcherrimo concentu metrorum et argumentorum, in delectu denique singulorum verborum curioso accurataque distributione. Cf. Hagel.

*) De qua re subtiliter, sed nimia quadam cura egit Schwerdtius: „Ueber die innere Form der horaz. Oden." Münster 1868.

Quo et orationis et numeri ornatu poëta quum totius rei, tum singularum cogitationum ac motuum artificiose auxit vim atque honorem.

Habes Horati proprias virtutes, magnas illas atque singulares. Quid igitur in iudicandis eius carminibus praecipue spectandum? Quas tandem interpretandi rationes ex summa conformandi atque poliendi arte eruendas esse existimas? — Illa quidem tractandorum carminum via minime recta mihi videtur, quam quis ingressus „argumentum tantummodo et sententias spectat, grammaticas leges inquirit, in examinandis rimandisque singulis verbis operam collocat, lectionum varietati immoratur artemque exercet criticam.“ cf. Hagel. — Probanda haec omnia, neque vero nimis aut sóla petenda sunt. Quin etiam vituperanda mihi videtur haec ratio, si alteram excludat, quae in formae venustate atque virtutibus versatur. Namque ipse poëta orationis praestantiae maximam se tribuere gravitatem summamque navasse operam libere professus est. cf. ars poët. v. 47:

„Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit iunctura novum.“

vv. 240—243.

„Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis
Speret idem, sudet multum frustraque laboret
Ausus idem; tantum series iuncturaque pollet,
Tantum de medio sumptis accedit honoris.“

vv. 289—294.

„Nec virtute foret clarisve potentius armis
Quam lingua Latium, si non offenderet unum
Quemque poëtarum limae labor et mora. Vos, o
Pompilius sanguis, carmen reprehendite quod non
Multa dies et multa litura coërcuit atque
Perfectum decies non castigavit ad unguem.“

En ipsum Horati iudicium, en summa eius in scribendis carminibus ratio. Quod idem Quintilianus testatur l. X, 1, 96: „Lyricorum idem Horatius fere solus legi dignus. Nam et insurgit aliquando et plenus est iucunditatis et gratiae et variis figuris et verbis felicissime audax.“

Quod poëtae studium ab eis, qui carminum recte iudicandorum periculum fecere, adhuc iusto plus neglectum esse arbitror. Agnosco, Peerlkampium et Lehrsium de Horatio bene esse meri-

ritos; sed quum ab una tantummodo parte carmina ponderaverint et in inquirendis sententiarum aut cohaerentia atque convenientia, aut repugnantiis atque ineptiis modum saepe excesserint, hanc unam eorum examinandi normam atque rationem nullo pacto comprobare possum. — Bentleius, notissimus Horati iudex atque censor, multo rectius egit, quum mentis quidem acumine potissimum usus, minime tamen formae pulchritudinis negligens, aliquantam huic tribuerit gravitatem. Iustam ac debitam autem ne Bentleius quidem tribuit neque quisquam, quod sciam, interpretum.

De qua re si non falsae erunt observationes, quas exponam, fieri non potest, quin ad quaestionem de Horati carminibus expediendam aliquid certe utilitatis ex eis redundet. Neque eram nescius, quum refellendae adversariorum sententiae munus susciperem, me nec nova multa nec doctiora esse dicturum, quam quae alii ante hunc diem protulerunt; quibus tamen nonnulla additurum me bono animo sperabam, quae non prorsus a probabilitate ac novitate abhorrerent.

Pars II.

De verborum collocatione in Horati carminibus usitata.

A. Singulorum vocabulorum locus.

In vocabulis artificiose disponendis hanc primam Horatius sequitur legem, ut verbis summi ponderis ac momenti locos quoque eximiae gravitatis quum in toto orationis ambitu, tum in singulis versibus tribuat. Qui loci sunt caput et finis periodi, initium et exitus versuum. *) Qua in re et cogitationis rationi et numeri elegantiae optime inservit.

1. Vocabulum positum est in capite enunciati

a. simul in capite carminis:

„Aequam memento rebus in arduis . . .“ II, 3.

„Rectius vives, Licini . . .“ II, 10.

„Pindarum quisquis studet aemulari . . .“ IV, 2.

cf. praeterea III, 2. III, 14. cet. cet.

Plerumque primo carminis vocabulo extremum primi versus respondet:

„Vile potabis modicis Sabinum . . .“ I, 20.

„Parcus deorum cultor et infrequens . . .“ I, 34.

„Iustum ac tenacem propositi virum . . .“ III, 3.

„Odi profanum vulgus et arceo . . . III, 1.

Sim. I, 18. I, 22. cet. cet.

Haud semel eius, cui carmen Horatius sacravit, nomen hoc loco conspicuo fulget:

---

*) Petersius l. c. p. 4. sedem quoque ante sive post caesuram primariam laudavit. Quam si tanti facimus in versibus Horatianis brevibus illis quidem, omnes paene loci idem habent pondus neque restant loci, quibus ceteri praestent. Rem alia ratione explicavi infra (Pars II. B. No. 15.)

„Phoebe silvarumque potens Diana.“ C. S.

cf. I, 1. I, 8. I, 10. I, 29. I, 30. I, 33. II, 6. III, 11. III, 17. III, 18. IV, 6. *)

b. simul in initio versus (v. Peters. p. 5.):

„Me doctarum hederae praemia frontium
Dis miscent superis.“ I, 1, 29.

„Nil mortalibus arduum est.“ I, 3, 37.

„Irae Thyesten exitio gravi
Stravere.“ I, 16, 17.

cf. etiam I, 6, 5. II, 2, 5. III, 4, 77. III, 19, 18. IV, 4, 30.

2. Vocabulum positum est in fine enunciati

a. simul in exitu versus (v. Peters. p. 6.)

„ . . . . . et incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.“ II, 1, 8.

„Cum populo et duce fraudulento.“ III, 3, 24.

„Qui terram . . . .
Imperio regit unus aequo.“ III, 4, 48.
(Egregia laus Iovis imperii!)

b. simul in initio versus (v. Peters. p. 3.):

„Donec virenti canities abest
Morosa.“ I, 9, 18.

„Ergo Quintilium perpetuus sopor
Urget.“ I, 24, 6.

cf. II, 8, 5. II, 17, 8. III, 4, 58. cet. — (v. infra B. No. 15.)

c. simul in fine carminis (v. Peters. p. 6.)

„ . . . . . .
Neu sinas Medos equitare inultos
Te duce, Caesar!“ I, 2.

„Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?“ III, 1.

„Dona praesentis cape laetus horae,
Linque severa!“ III, 8.

His aliisque locis (I, 10. III, 3. cet.) verbum in fine carmi-

*) Ubicunque legis dei vel amici vel fautoris, quem alloquitur poëta, nomen, semper illustrem occupat sedem.

nis collocatum pro ratione totius argumenti magnum fere sustinet pondus. *)

3. Vocabulum positum est in initio seu exitu versus.

Uniuscuiusque fere versus seu caput seu finem vocabulum aliquod obtinet gravioris notionis. Plerumque substantivis, adiectivis, pronominibus, verbis Horatius hos vindicat locos; saepissime etiam duobus vocabulis, inter se arcte coniunctis, versus initium et exitus tributa sunt. Cuius rei sexcenta invenies exempla.

a. Vocabulum in fronte versus locum habet:

III, 1, 8. „. . . . . Iovis
Cuncta supercilio moventis."

III, 3, 8.

„Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinae."

Ibidem v. 11. et 32., ubi poëta, hyperbato usus, verborum vim primi loci honore mire auxit; v. ann. Dillenburgeri.

III, 5, 40.

„O magna Karthago probrosis
Altior Italiae ruinis!"

cf. II, 8, 3. II, 17, 4. IV. 4, 25. 27. cet.

b. Vocabulum terminat versum:

„O matre pulchra filia pulchrior." I, 16, 1.
„Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
. . . . ." II, 3, 1—2.

cf. I, 4, 15. I, 37, 2. II, 2, 1. cet.

Singularem Horati artem in adornando hoc versus loco laudavit Petersius p. 5.

c. Duorum vocabulorum aptissime cohaerentium alterum in capite, alterum in fine versus cernitur.

„. . . . . Idem
Pacis eras mediusque belli." II, 19, 28.

*) Ne longus sim, consulto omisi, in unoquoque exemplo tanquam digito monstrare, quantum augeat verborum dispositio sententiae dignitatem atque venustatem. Quis est, qui non videat? Neque postea uberiore singulorum exemplorum illustratione cum magno rei detrimento me abstinebo.

„Coniuge me Iovis et sorore.“ III, 3, 64.

Iunonis superbiam vix potuit accuratius describere Horatius. quum praesertim pronomen „me“ caesuram efficiat.

„Egregius properaret exsul.“ III, 5, 48.

„Hic classe formidatus, ille
. . . . . .“ III, 6, 15.

cf. I, 24, 10. II, 13, 38. III, 4. 27. III, 9, 8. 14, 19. 16, 44. 21, 22. IV, 1, 18. cet.

B. Verborum figurae Horatio usitatae.

1. De alliterationis apud Horatium usu cf. Cadenbach. Progr. Essen. 1837. — Dillenburgeri prooemium ad carm. IV, 13. — Permulta sunt exempla, neque vero omnia de industria ab Horatio quaesita; pleraque tamen exquisite adhibita, quae in recitandis carminibus audientium iucunde permulcent aures.

Annominationis exempla inveniuntur III, 4, 31:

„Tentabo et arentes arenas.“

IV, 4, 2:

„Cui rex deorum regnum in aves vagas
Permisit.“ — III, 29, 50. cet.

2. Epizeuxis sive Conduplicatio (v. Peters. p. 6.)

cf. praeterea: II, 8, 13:

„Ridet hoc, inquam, Venus ipsa, rident
Simplices nymphae.“

III, 19, 25.

„Spissa te nitidum coma,
Puro te similem, Telephe . . . .“
(„Te“ in eadem arsi repetitum!)

II, 20, 9. IV, 1, 2. („parce, precor precor“) IV, 4, 16—17:

„Qualem . . . . . (v. 1.)
. . . . . .
Dente novo peritura vidit: (v. 16.)
Videre Raeti bella sub Alpibus
Drusum gerentem.“

Exspectabamus „talem Raeti . . .;“ sed iterato vocabulo videndi facile caremus voce „talis.“

IV, 13, 10—11. („te quia“), 18. („illius“). cf. Dillenb. ann. ad h. l.

3. De anaphora v. Peters. p. 10. et Dillenb. ann. ad I, 22, 17—21. 23—24. II, 16, 33. — cf. etiam III, 27, 49:

„Impudens liqui patrios penates,
Impudens Orcum moror."

II, 19, 5—8., quo l. epizeuxis et anaphora coniunguntur.

4. Epiphora.

III, 19, 23—24:

„ . . . . . Audiat invidus
Dementem strepitum Lycus
Et vicina seni non habilis Lyco."

(Lyci nomen contumeliae causa bis positum.)

Complexio (anaphora et epiphora) est in carm. III, 9. v. 12 et 16:

„Si parcent animae fata superstiti"
. . . . . ,
„Si parcent puero fata superstiti."

cf. IV, 13, 1—2. *)

5. Polysyndeton.

III, 4, 45—48:

„Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum et urbes regnaque tristia
Divosque mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo."

III, 5, 10—11:

„ . . . . . Marsus et Apulus,
Anciliorum et nominis et togae
Oblitus aeternaeque Vestae."

III, 29, 37:

„Stirpesque raptas et pecus et domos."

II, 19, 9—16. IV, 1, 13—18. 29—32. cet.

6. Asyndeton.

Plerumque cum epizeuxi sive anaphora coniungitur; cf. II, 19, 17 sq. ceterum non est frequens; III, 1, 5—6. III, 8, 25 sq.

7. De chiasmo Petersius uberrime exposuit p. 19 sq. — cf. praeterea III, 1, 25—32. III, 6, 42. III, 9, 21—22. III, 23, 20. III, 29, 43—45.

*) Antithesis et Oxymoron, de quibus Petersius p. 11 sq. egit, huc mihi pertinere non videntur. Est sententiae, non orationis figura.

8. Idem verborum ordo repetitus (v. Peters. p. 23.):
Carm. IV, 5, 47—50:

„Longas o utinam, dux bone, ferias
Praestes Hesperiae! dicimus integro
Sicci mane die, dicimus uvidi,
Quum sol oceano subest."

C. S. v. 6:

„Virgines *lectas* puerosque *castos*."

9. Similis est ea nominum grammatice coniunctorum dispositio, qua bina inter se verba iunguntur (v. Peters. p. 15 sq.). Exempla, quae attulit, permultis augere licet:
I, 33, 5:

„Insignem *tenui fronte* Lycorida.

III, 4, 34. III, 8, 21. III, 9, 14. 20. III, 10, 15. III, 11, 9. 15. 35—36. III, 13, 9. 14—15. III, 14, 5. III, 15, 2—4. 6. 12. III, 16, 25. 30. 33. III, 18, 1. 5. 9. 13. III, 17, 4. III, 19, 28. III, 21, 4. III, 22, 6. III, 23, 8. cet. cet.

10. Quatuor vocabulorum sententia cohaerentium, primum tertio, quarto alterum respondet. (v. Peters. p. 28 sq.)
cf. etiam carm. I, 3, 8:

„Et serves *animae* dimidium *meae*."

III, 3, 5:

„Dux *inquieti* turbidus *Hadriae*."

I, 5, 13—14. I, 29, 13—14. I, 34, 10. (v. ann. Dillenb.) III, 1, 21—22. III, 3, 29—30. III, 4, 2. 17. 70—71. 73. 79. 80. III, 5, 22. III, 6, 4. 7—8. (Primum vocabulum tertio et quarto, alterum sexto, quintum septimo respondet.) 37—38. (Similis verborum distributio.) III, 8, 22. 23. III, 9, 12. 16. 18. III, 11, 26. (v. ann. Dillenb.) 45. 46. III, 12, 8. III, 14, 6. 25. III, 16, 27. . . . . IV, 1, 16. (v. ann. Dillenb.) 30. cet. cet.

11. Inter duas voces, quae cogitatione et lege grammatica continentur, unum vel plura verba interponuntur. (v. Peters. p. 29.)
II, 17, 3:

„. . . . Maecenas, mearum
Grande decus columenque rerum."

III, 2, 1:

„Angustam amice pauperiem pati . . ."

III, 24, 49:

„Gemmas et lapides aurum et inutile,
Summi materiem mali
Mittamus."

IV, 5, 46:

„Magni memor Herculis." (v. ann. Dillenb.)

12 Duo nomina, grammatice conexa, in fine versuum, alterum in ultimo loco prioris, alterum posterioris versus collocata sunt.

Quo verborum ordine, quum finis versus locus sit eximiae gravitatis, sententiam aliquantum assumere dignitatis ac pulchritudinis, nemo est, quin sentiat. — cf.

III, 5, 39—40:

„O magna Karthago probrosis
Altior Italiae ruinis!"

IV, 1, 4:

„ . . . . . Desine dulcium
Mater saeva cupidinum." (cf. No. **9.**)

I, 35, 3:

„ . . . . . superbos
Vertere funeribus triumphos."

III, 4, 70:

„ . . . . . notus et integrae
Tentator Orion Dianae."

III, 29, 11:

„Omitte mirari beatae
Fumum et opes strepitumque Romae."

IV, 11, 35:

„ . . . . . minuentur atrae
Carmine curae."

Exempla innummerabilia sunt: I, 2, 39. I, 14, 19. I, 17, 15. I, 21, 3. II, 12, 15. 19. II, 14, 15. II, 15, 15. II, 16, 13 . . . . . III, 1, 10. III, 4, 51. III, 5, 43. III, 8, 19. III, 9, 22. . . . . IV, 2, 7. 15. 39. 43. 51. IV, 3, 14. IV, 4, 23. 39. 47. 51. 59. IV, 5, 27. . . . . C. S. 37. 51. 59, 63. 71. cet. cet.

Cf. etiam carm. I, 20, 6—8:

„ . . . . . ut paterni
Fluminis ripae simul et iocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.“ (cf. No. **13.**)

IV, 2, 34—36:

„ . . . . quandoque trahet feroces
Per sacrum clivum merita decorus
Fronde Sugambros.“

13. Haud minus ad amplificandam sententiam valet altera verborum collocatio, qua poëta cum voce aliqua in fine versus posita aliam coniungit, quae primum locum sequentis versus obtinet. — Quo facili orationis et numeri progressu etiam versuum arctior existit conglutinatio. Cf.

I, 31, 3: „ . . . . . Non opimae
Sardiniae segetes feraces.“

(Quo l. etiam chiasmum vides.)

III, 3, 43: „ . . . . . stet capitolium
Fulgens.“

III, 5, 13—15:

„Hoc caverat mens provida Reguli
Dissentientis condicionibus
Foedis et . . . .“

III, 5, 25:

„Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit.“ — Quanta vis ironiae!

III, 8, 13:

„Sume, Maecenas, cyathos amici
Sospitis.“

(Locus memorabilis; nam hic versus, totius carminis medius, etiam rei quasi quoddam fastigium est.)

III, 24, 5—7:

„Si figit adamantinos
Summis verticibus dira Necessitas
Clavos . . . .“ (cf. No. **11.**)

III, 29, 54:

„ . . . . . et mea

Virtute me involvo probamque
Pauperiem sine dote quaero."

Cf. praeterea II, 1, 7. 10. 29. II, 20, 9. 15. II, 19, 29—32. III, 3, 26. 30. III, 11, 50. III, 14, 15. III, 24, 12. 17. 25. 51. III, 25, 10. 19. III, 26, 6 . . . . IV, 1, 39. IV, 2, 14. 22. 30. 46. 47. 54. IV, 4, 25. 36, 71. IV, 5, 9. 43. . . . C. S. 18. 19. cet. cet.

Quibuscum locis cf. hi:

III, 20, 3:

„Dura post paulo fugies *inaudax*
Proelia *raptor*", quibus verbis duplicem simul antithesin effectam vides (cf. ann. Dillenb.)

III, 29, 14:

„Mundaeque parvo sub lare pauperum
Coenae sine aulaeis . . . ."

IV, 4, 47:

„Vastata Poenorum tumultu
Fana deos habuere rectos." (cf. No. **10.**)

Praeterea III, 18, 6. III, 24, 1. 61. IV, 4, 53. 63. C. S. 21.

Carm. IV, 4, 7—9:

„Vernique iam nimbis remotis
Insolitos docuere nisus
Venti paventem."

Neque neglegendi sunt huiusmodi loci: III, 29, 29:

„Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit deus."

III, 29, 49—52:

„Fortuna saevo laeta negotio et (cf. No. **10.**)
Ludum insolentem ludere pertinax
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna."

Sim. III, 18, 11—12. IV, 1, 10—11. IV, 11, 11—12.

14. *Σχῆμα ἀπὸ κοινοῦ.*

Nomine aliquo, e duobus vocabulis pendente et sic posito, ut medium inter utrumque intercedat, commode adstringitur oratio et tanquam corroboratur sententia.

Cf. I, 3, 6:

„Navis, quae tibi creditum

Debes Vergilium, finibus Atticis
Reddas incolumem precor.“ — (v. ann. Dillenb.)

I, 14, 16. („ludibrium“). II, 11, 12. („aeternis consiliis“). III, 23, 15—16. (Accusativus „parvos deos“ referendus est ad vocabula „tentare“ et „coronantem.“) IV, 2, 33. („maiore plectro“). IV, 13, 10. („te“). — Vide Dillenb. ann. ad II, 7, 25.

15. Amat Horatius, periodum aliquam primo in sequentis demum strophae versu concludere. Quam scribendi proprietatem imprimis invenies, ubi sententiarum quaedam antithesis intercedit. *) — cf. II, 8, 1 sq.

„Ulla si iuris tibi peierati
Poena, Barine, nocuisset unquam,
Dente si nigro fieres vel uno
Turpior ungui:
Crederem. Sed tu . . . .“

III, 1, 17 sq.

„Destrictus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt soporem,
Non avium citharaeque cantus
Somnum reducent. Somnus agrestium . . . .“

Ibidem v. 37.

IV, 14, 29 sq.

„ . . . . barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu
Primosque et extremos metendo
Stravit humum sine clade victor
Te copias, te consilium et tuos
Praebente divos.“

(Claudius hostes vicit, sed tuis auspiciis adiutus.) — Cf. I, 16, 25. II, 9, 17. II, 10, 17. II, 11, 17. II, 17, 9. 22. III, 2, 29, III, 4, 42. III, 16, 13. III, 17, 13. III, 23, 13. III, 29, 41. IV, 13, 5. cet.

[Cf. Iliad. l. I. v. 51—52. — Pind. Ol. I, 23. Ol. II, v. 95. „*Θήρωνος. ἀλλ'* . . .“ — Ol. III. v. 6. 26. Pyth. I, v. 33. 53. Pyth. II, v. 17. 41. cet. (ed. Mommseni.)]

*) Cf. p. 11. Annot.

16. Extremo huius partis loco artificiosam aliquot stropharum mihi liceat laudare constructionem. — Cf. Dillenb. ann. ad I, 21., cui haec de prima huius carminis strophа adiungi possunt:

„Dianam *tenerae* dicite *virgines*,
Intonsum *pueri dicite* Cynthium
Latonamque *supremo*
Dilectam penitus *Iovi*."

Deorum dearumque nomina admirabili arte disposita; vocabulum „dicite" luculenter repetitum; nomina „Latonam", „supremo", „dilectam", „Iovi" praeclare in initio et exitu versuum collocata et sic distributa, ut primum tertio, alterum quarto respondeat; de v. 1. cf. B. No. **10.** de v. 2. B. No. **9.**

De carm. II, 10, 5 sq.

„Auream *quisquis* mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, *caret* invidenda
Sobrius aula."

Dillenb. dicit: „Nolim praetermittas artem in positione verbi „caret" conspicuam; (eodem duorum versuum loco graviter repetitur); deinde v. 6. et 7. miro modo ita compositos vides, ut eisdem locis collocata verba eundem ambitum habentia easdem efficiant caesuras." Adde vocabulorum primo versu complexorum praeclaram dispositionem (cf. A. 3. c. — B. No. **10.**); ultimorum nominum admirabilem ordinem (cf. B. No. **10.** No. **12.**); verbi „sobrius", quod una cum adiectivo „tutus" summa sententiae vi utitur, insignem locum; chiasmum denique, quo verba „tutus caret" et „caret sobrius" praeclare inter se iunguntur. —

Carm. IV, 4, vv. 37—48, quorum Peerlkampius vv. 41—48. immerito reiecit, formae venustate admodum excellunt.

v. 37. „Quid debeas, o Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumen et Hasdrubal
Devictus et pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,

v. 41. Qui primus *alma* risit *adorea*,
Dirus *per urbes* Afer *ut Italas*
Ceu flamma per taedas vel Eurus
Per *Siculas* equitavit *undas*.

v. 45. Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit et impio
Vastata Poenorum tumultu
Fana deos *habuere* rectos."

Respicias quaeso

v. 37. vocem „Neronibus" in exitu, v. 42. „dirus" in initio versus positam.

v. 37—38. verborum „Hasdrubal devictus" distributionem; (cf. B. No. **13.**).

v. 39—40. vocabula „fugatis tenebris", utrumque in fine versus collocatum; simul hanc verborum copulationem

„pulcher *fugatis* ille dies Latio *tenebris*",

qua vox „Latio" commode excipitur;

v. 41. „Qui primus *alma* risit *adorea*";

v. 42. „Dirus *per urbes* Afer *ut Italas*";

v. 44. „Eurus *per Siculas* equitavit *undas*";

simul metaphoram et onomatopoeiam;

v. 46—47. verborum „impio tumultu"

positionem orationisque venustum ordinem

„impio *vastata* Poenorum tumultu *fana*";

v. 47—48. vocabulorum „vastata fana" eximiam sedem;

v. 49. „Fana *deos* habuere *rectos*";

totius denique periodi mirificam in recitando carmine pulchritudinem.

Strophas eximia arte compositas praeterea has invenies: I, 9, 21 sq. (cf. Dillenb. ann.). I, 16, 5—12. III, 3, 61 sq. III, 4, 9—20. 25—28. III, 23, 5 - 8; alias.

Legentium vix quemquam, qui locos attente examinaverit, effugiet, succrevisse et magis magisque invaluisse Horati componendi artem maioremque esse in tertio ac quarto, quam in primo et secundo carminum libro. De qua re nolim ignores Bernhardyi iudicium in hist. litter. Rom. pag. 523: „Wenn das erste Buch noch häufig in Plan, Gehalt und Ausdruck nur den Beginn einer neuen Gattung ankündigt und den unsicheren Nachahmer verräth, ... so leuchtet schon aus dem zweiten ein Grad der Selbstständigkeit und Reife hervor, . . . Gedanken und Vortrag treten in das rechte Gleichgewicht. Dann erst zeigt das dritte Buch den Dichter im vollkommensten Besitze der Kunst, die kein röm. Lyriker überbieten konnte. Hier

hält die Beherrschung des Sprachschatzes mit dem gemessenen Ideenkreise gleichen Schritt .... Mitten in glänzender Rhetorik und gehäuften Kunstmitteln dringt im vierten Buche ein gehaltener, selbstbewusster Ton durch .... Diese Bücher sind der Boden, in dem Horazens selten angetasteter Ruf wurzelt; sie haben einen langdauernden Einfluss auf die poetische Technik der Neueren gegründet."

Generali dissertationis parte absoluta, iam num Horatium ab iniustis aliquot Peerlkampi et Lehrsi conviciis defendere possim, periclitabor, qua in re etiam hoc proposui mihi, ut paucis illustrarem, quantum comprobandi iudici firmamentum hauriretur e compositione carminum atque forma.

Pars III.

Carminum I, 22. III, 8. defensio.

A. De carm. I, 22. disputatio.

Carmen illud Horati saepe laudatum „Integer vitae . . .“ quum ferro acuto Peerlkampius et Lehrsius resecuerint, omni artis criticae opus erit apparatu, ut eorum infringatur opera atque opinio. Quare primum de codicum auctoritate, tum de argumento carminis, denique de forma mihi agendum videtur.

Atque codices quidem ad unum omnes carmen integrum ea, qua nunc utimur, forma exhibent. Cf. editio Kelleri et Holderi. Lipsiae 1864. — Diomedes grammaticus in catalogo carminum Horat. *) hoc carmen omnino omisit. Cui tamen Gruppius („Minos“ p. 392) vetustius Mari Victorini rhetoris testimonium iam opposuit, qui v. 18. „arbor aestiva recreatur aura“ ut Horatianum bis citavit.

Idem l. c. p. 387 dicit haec: „Das Zeugniss des Diomedes steht nicht ganz klar und zweifellos da . . . . Diomedes selbst unterliegt noch erst der Kritik. Es fehlen nämlich bei ihm auch Stücke, gegen welche keine Verdachtgründe vorliegen, welche wir schwerlich dem Horaz dürfen entreissen lassen cet.“

Quare non falso Gruppium iudicasse arbitror, quum Diomedis auctoritati fidem non habendam esse existimat, nisi argumentis ex ipsius carminis condicione petitis fulciatur ac sustineatur. (l. c. p. 390.). **) Quae in hoc carmine nulla esse, iam altera quaestionis parte, qua de argumento agetur, me spero ostensurum.

Peerlkampius enim, quem secutus est Meinekius, stropham 4. reiecit. „Mira“, inquit, „terrarum adeo dissitarum (Dauniae et Iubae telluris) coniunctio; parva Italiae pars et ingens Africae

*) Ed. Keili. Lipsiae 1857. p. 522.

**) Cf. quae infra de Diomede exposui.

regnum; illa militaris, hoc arida nutrix leonum. Epitheton „militaris“ non facit ad horrenda animalia, quae plurimum gignuntur in eis regionibus, ubi homines minime sunt militares. Aesculetum nusquam fere invenitur.“

Primum nullam habet difficultatem Dauniadis parvae et magnae Mauretaniae coniunctio; ulna aut decempeda non metitur poëta. Neque terrarum distantia quidquam facit. Alias in componendis duabus regionibus res respexit Horatius, quas communes habeant atque insignes. Est enim arida Mauretania, arida autem Daunias quoque; cf. ep. III, 16. „siticulosa Apulia“ (i. e. Daunias.) Carm. III, 30, 11. „pauper aquae Daunus.“ — Ovid. Met. XIV, 510. „arida Dauni arva.“ — Sed cur hanc utriusque terrae proprietatem Horatius indicat? Nihil clarius. Namque terra rivis pluviaque pauper neque ab hominibus culta feris optima praebet receptacula. — Quod si reputamus ac locum denique carm. I, 33, 7. respicimus, ubi „lupi Apuli“ distincte et κατ' ἐξοχήν (sicut I, 1, 28. „Marsus aper“, III, 20, 2. „Gaetula leaena“, alia aliis locis) commemorantur, num etiam tum miramur Dauniadem et Mauretaniam a poëta compositas utramque aridam, utramque desertam atque beluis fecundam? Haec eadem regionum natura paullo plus pollere mihi videtur, quam magnitudo, quam distantia.

At adiectivo „militaris“ laborat stropha! — Hoc Peerlkampius recte animadvertit; offensionem aliquam habent verba poëtae, quae tamen excusatione non prorsus carent. Namque poëtae, imprimis epici, rebus non ea semper epitheta adiungunt, quae cogitationum nexus loco aliquo maxime desiderat; sed quibusdam utuntur, etiam neglectis aliquatenus eis, de quibus modo dicitur, eisque utuntur adiectivis, quae e perpetua tanquam consuetudine constantia facta sunt et fixa ab eaque rei parte desumpta, quae maxime ubique eminet et exstat. *) Sic h. l. Horatius Dauniadem „militarem“ appellat. Namque Apulia incolarum strenuo animo et virtute bellica inclyta erat atque insignis.

*) „Das gerade Gegentheil des streng logischen Gebrauches der Adjektiva finden wir bei Homer, wenn er sagt: „Der schnellfüssige Achill weint, der lautrufende Herold schläft, u. dergl.“ Denn diese stehend gebrauchten Adjektiva haben theils gar keine Beziehung zum Urtheile oder stehen sogar in direktem Widerspruch zu ihm.“ Rumpel Philos. Propäd. p. 59. Anm.

Cf. Carm. III, 16, 26. „impiger Apulus.“ Ep. II, 42. „pernix Apulus.“ Sat. II, 1, 38:

„Sive quod Apula gens seu quod Lucania bellum
Incuteret violenta.“

Carm. III, 5, 9. Marsi et Apuli notae suae obliti virtutis vituperantur. Ubicunque Horatius de Apulis loquitur, fortem eorum laudat animum. Epicorum igitur more h. quoque l. vulgari illo utitur epitheto. — At non est epicus poëta Horatius! At est in describendis tali modo terris! — Quare Horatiana quidem esse verba existimo; quamquam non nego, paullum esse lapsum arte poëtam. Etenim aptiore sensuique magis accommodato vocabulo debebat uti. Sed ne Horatius quidem erroribus omnino vacat, quibus ne venia denegetur, tenenda est ratio illa, quam Bernhardyus (hist. litt. Rom. p. 518.) proposuit: „Man darf an Horaz als begabtes Individuum nicht den Anspruch absoluter Vollkommenheit stellen!“ — Cf. etiam H. Weili disputatio de carm. IV, 4. in Iahni „Iahrbücher für klassische Philologie.“ 1855. p. 720.

Quid porro? — Contradictionem in adiecto Peerlkampius statuit: „horrenda animalia plurimum gignuntur in eis regionibus, ubi homines minime sunt militares.“ — Optime. — Laudandum acumen sagacissimum, laudanda constantia. Mauretania credo non erat militaris ideoque tot leones generabat! Quis non norit Maurorum insignem belli virtutem? Nonne v. 2. Peerlkampius „iacula Maura“ vidit? Attamen ei „Iubae tellus leonum nutrix“ non displicet.

Quae de voce „aesculetum“ Peerlk. exposuit, nihil valent. „Fuit Horatius“, ait, „verborum novator, sed alii scriptores, credo, vocem a tam idoneo auctore commendatam recepissent.“ Sed ipse Peerlk. locum in Varronis L. L. V, 32, 152. attulit! Addi potest Plin. h. n. 16, 10, 37. et Comment. Cruq. ann. ad Carm. II, 9, 7. „ut pineta, esculeta, vineta, sic et querceta dicuntur loca, ubi multae quercus nascuntur.“ Si quidem „aesculetum“ proprie vicus erat Romae, sicut „cornetum, lauretum“, (id, quod Peerlk. bene ostendit), num tam insolens est apud poëtam verbi alicuius paullum mutata significatio, ut h. l. „aesculetum“ sit ager aesculis ferax? Vocabulum „aesculus“ invenitur apud Horatium in Carm. III, 10, 17. („rigida mollior aesculo.“)

Quum gravissima Peerlkampi argumenta infirmasse mihi vi-

dear, ceterae causae — „Iubae tellus non satis distincte indicata . . . .“ — leviores sunt, quam ut strophae auctoritatem Horatianam suspectam reddere possint.

Restat, ut de forma huius strophae nonnulla exponam. Quae magis Horatiana vix potest esse. Videas quaeso hanc verborum distributionem: 13 f.

„ . . . . . militaris
Daunias *latis* alit *aesculetis*.“

Cf. Pars II, B. No. **13.** No. **10.**

Bene etiam hic verborum profluit ordo:

„Nec Iubae tellus generat leonum
Arida nutrix.“

In qua periodo vocabulum „generat“ optime intercedit inter substantiva „tellus“ et „nutrix“, quorum utrumque genitivo accuratius describitur.

Venio nunc ad Lehrsi iudicium. Qui non contentus quatuor a Peerlkampio versibus excussis maiorem carminis partem cavillatione sua impugnavit et amputavit.

Antequam vero argumenta eius ponderem, de universa carminis condicione pauca iuvat facere verba. — Horati enim in condendo carmine summum consilium id erat, ut Fusco amico vitae innocentiam grata quadam et amoena ratione comprobaret. Quod non sterili doctrina consectatur poëta, sed narrationibus, exemplis, imaginibus. Atque hoc ipso carmine Horatius praeclaro artificio usus sententiam grato ornavit ioco. Nam quis est, qui cogitationum ignoret ludum venustum? qui poëtam illustrandae sententiae causa lepidam de semet ipso narrationem intexuisse et lasciva superlatione auxisse non intelligat? Quis, qui a gravi et solemni carminis initio per tot tantaque pericula, corpori quidem, minime vero animo atque virtuti pertimescenda, ad amoris delicias poëtam comitatus, eius non laudet iocationem ac festivitatem? Lehrsius quidem non laudat; non sensisse videtur totius carminis sonum iocularem; fefellerunt eum ridicula sententiose vel sententiosa ridicule dicta. Etenim si serio ac frigide Horatius loqui voluisset, profecto non ad pericula confugisset, quae Syrtarum, Caucasi, Hydaspis terrores homini incutiant, iaculis atque sagittis depellenda: sed vera virtutis pericula, velut hominum invidiam, calumnias, pra-

vos mores. voluptatis vitiorumque illecebras commemorasset, quae **possunt** quidem nocere vitae innocentiae atque integritati.

Sed iam singula perlustremus. Lehrsius effatur: „In dieser Ode können nur die beiden ersten schönen Strophen von Horaz sein und sind es wahrscheinlich. Im folgenden hat man die vierte Strophe herausgeworfen, die allerdings lächerlich gräulich ist. (!) Aber was ist denn damit viel gewonnen? Dass mit den beiden letzten Strophen der Faden ganz abreisst, ist doch unleugbar. Alle Uebergänge oder Uebergangspartikeln, die man versuchen mag, werden eine Lächerlichkeit an den Tag legen. Etwa: und wie kein Wolf, so wird auch kein Klima mich abhalten, Lalage zu besingen?“ — Cui iudicio alterum Wendeli liceat adiungere: *) „Man kann nicht in Abrede stellen, dass diese Ode in den Einzelheiten der Diktion sehr viel Glückliches und in der Versifikation sehr viel Geglättetes, Gefälliges enthält. Wenn man aber der Verliebtheit des Dichters nichts zu Gut kommen lässt, so ist freilich der Uebergang von der Sicherheit des Dichters zu der Betheuerung, in jeder Zone die Lalage lieben zu wollen, nicht ganz in der Ordnung. Nur durch die Behauptung, dass der Dichter sich höchst naiv in dieser Ode ausspreche und dass dieser gerügte Uebergang eben auch ein Beweis seiner naiven Stimmung sei, würde man zufrieden gestellt werden können.“

Quo nisus argumento Lehrsius extremas strophas non genuinas esse contendit, Wendelius poëtae negligentiam tantummodo vituperat. Utrum rectius? — Exspectabamus quidem securitatis notionem ultima stropha expressam; attamen, quoniam desideratur, ab Horatio v. 16—24. illico non possumus abiudicare. Sunt enim, quibus excusetur poëta et spe teneor, fore ut a graviore quidem eum defendam criminatione. Res ac tempora quaeso ad oculos revocemus. Horatius, amore captus, quum in suavi Lalagae memoria defixus per Silvam Sabinam spatiatur („dum meam canto Lalagen et ultra terminum curis vagor expeditis“) subito lupum procul transcurrentem videt. Quo manifesto perterritus periculo, quum intactus tamen evaserit, deorum religioso quo erat animo praesentem tutelam cognoscit, qui hominibus vitae integris artiumque bonarum studiosis faveant. Quam veterum poëtarum communem sententiam, pio vati atque innocenti nunquam deesse deorum numen auxiliare, ut carm. I, 17, 13 - 14. verbis

*) Cf. „Vorlesungen über die horaz. Oden“ I, p. 117.

„Di me tuentur, dis pietas mea
Et musa cordi est“

serio expressit, sic iocose hoc carmine illustravit, quod rei improvisa novitate vehementer commotus, sed periculo prospere defunctus recuperataeque salutis bene sibi conscius domi condidit atque Fusco amico, homini lascivo illi quidem (cf. Sat. I, 9, 60 sq.), despondit. Lupum enim illum fortuito praeterruentem et tanquam metu poëtae perterritum inermem se fugisse lepide fingit Horatius. Ea est vera carminis origo, ex occasione forte allata profecti.

Quam si reputamus Horati commotionem, cogitationum perquam facilis est cursus neque uspiam filus abruptus. Quae sentiebat et cogitabat, deorum semel expertum benevolentiam ubicunque securum se confidere eorum auxilio, extremo carmine non distincte quidem et iterum verbis indicavit poëta. Sed cur fecerit? Num tam male noverat Horatius Fuscum aut Fuscus Horatium? Haud dubie alter alterum optime intelligebat ac perspiciebat. — Latet etiam securitatis notio verbis poëtae venusteque versibus

„Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem“

intexta est, quippe quum amoris dulcedine minime queat frui, qui vitae securitate caret. Est igitur vera et tecta Horati sententia, se pium vatem et praesenti deorum auxilio fretum ubicunque terrarum posse poësi et amori, omni abiecto inani timore, indulgere. Quae Lehrsium quidem potuit fugere, Fuscum certe non fugit.

Proinde audiamus, quid amplius de carmine Lehrsius iudicet; etenim tertiam quoque strophan („namque me silva . . . .“) loco movit: „Dass sie im höchsten Grade das Bedenken herausfordert mit dem Abfall des Tones gegen die beiden ersten, darauf darf man bestehen. Ich habe nicht umhin gekonnt, mich manchmal mit einer Fiktion zu vergnügen: Wenn es denkbar wäre, dass der Schalk Fuscus Aristius, wie wir ihn aus der neunten Satire leibhaftig kennen, von Horaz eine Ode mit dem Anfange der ersten drei Strophen erhielt, wenn er dann nach dem feierlich-mysteriösen Tone der beiden ersten, in welchen die Phantasie in die afrikanischen und asiatischen Wüsten und Wildnisse versetzt war mit ihren Löwen und Tigern und Hyänen, wenn er da auf

den trivialen Wolf und den wohlbekannten Sabinerwald gerathen wäre und die Nonchalance, womit das Ereigniss von beiden Seiten vor sich geht oder von Seiten des Wolfes, könnte man fast sagen, die prompte Höflichkeit, mit welcher er, ungelegen kommend, sich empfiehlt: hätte er sich da nicht veranlasst sehen können, die parodische vierte Strophe („quale portentum . . . .“) hinzuzusetzen: „„Ihr müsst aber desshalb doch von diesem Wolfe nicht falsch urtheilen; dieser Wolf das war kein gewöhnlicher Wolf, das war ein Wolf, der noch über den Löwen geht?““!“ — En facetiarum callidum inventum! Num quid magis petitum ac quaesitum excogitari potest? Si recte Lehrsi verba intellexi, eius de hoc carmine iudicium paucis verbis sic fere potest comprehendi: „Vv. 17—24. ab Horatio non sunt profecti; sed ne vv. 9 - 16. quidem Horati possunt esse, etenim a sono primarum stropharum prorsus recedunt. Si fortasse tertiam stropham ab Horatio compositam probaremus, tum quartam stropham a Fusco per iocum additam iudicare deberemus.“ — Quam tamen tertiae et quartae strophae defensionem ne Lehrsius quidem ex animi vera sententia hausit; fictio tantummodo est, sed nugatoria illa atque inanis. Ipse utramque ab Horatio abiudicat, tertiam quod priorum stropharum rationem non servet, quartam, quod sit „lächerlich gräulich.“

Primum de tertia stropha quaeramus; namque de quarta quum supra iam dixerimus pauca tantum addenda sunt.

Lehrsius eam dicendi proprietatem neglexisse mihi videtur, quam saepe in Horatianis laudarunt interpretes, quae in studio illo posita est poëtarum, ut dictum aliquod commune, doctrinam generalem certis rebus ac singulis illustrent rerumque quam notissimas semper et proximas eligant. Quemadmodum res sensibus non subiectas ad concretionem revocant, sic eodem repraesentandi ac depingendi studio de rebus generalibus latioribusque notionibus distributione utuntur. Quodsi Horatius dixisset: „ego quoque inermis e gravissimis periculis mire iam ereptus sum“, non esset poëta; quum dicit: „me quoque in silva Sabina lupus nuper fugit inermem“, est poëta. — Sic enim poëtarum est loqui, sic Horati; semper certas res, nota exempla, argumenta de proximo sumpta affert. — Quae praemittenda putavi, ut comminuerem Lehrsi opinionem. Generalem enim sententiam, primis versibus propositam, tertia stropha Horatius lepido quodam exemplo

comprobat. Qua in re quemadmodum poëta cogitationum nexum reliquerit, equidem non video. Totius enim carminis comicam, ut ita dicam, severitatem ac gravitatem, quae ne in primis quidem strophis ignorari potest (cf. pag. 27.), Horatius grata iocatione luculenter auxit atque ornavit. Indidem lupum illum quarta stropha tàm horridum atque terribilem effinxit, quam superlationem accommodatam etiam esse ad sensus, quibus poëta, quum conspiceret lupum, subito moveretur, recte Dillenburgerus annotat. Neque verò nimia est et temeraria superlatio; lupus enim satis terribilis etiam leonibus antea commemoratis; cf. quae p. 25. de lupis Apulis annotavi. — Quibus expositis lupum satis defendisse existimo.

Denique ad defendendam carminis condicionem genuinam forma accedit, qua nescio an Horati magis proprium aliquid inveniri possit.

V. 1. „Integer vitae scelerisque purus" chiasmum invenies eamque vocabulorum dispositionem, quam parte II. A. 3. c. laudavi. —

v. 6. „. . . . . inhospitalem
Caucasum . . . . . ." Cf. P. II. B. No. **13.**

v. 7—8. verba arctissime intér se copulata, „loca fabulosus lambit Hydaspes" Horatius artificiose sic distribuit, ut „fabulosus" et „Hydaspes" finem utriusque versus obtineat simulque primum vocabulum ad tertium, alterum ad quartum referendum sit. Cf. P. II. B. No. **12.** No. **10.**

v. 12. verba „fugit inermem" antithesin efficiunt, de qua cf. Peters. p. 11. No. 3.

De strophae quartae constructione supra dixi; cf. p. 27.

v. 17 et 21. anaphora Horatius usus est. Cf. P. II. B. No. **3.**

v. 17. adiectivum „pigris", postposito vocabulo „ubi", maiorem assumpsit vim, quae verborum transmutatio, „hyperbaton" nominata, plus semel apud Horatium invenitur. Cf. III, 3, 11. 32. (v. p. 13.). III, 4, 13. 70. III, 19, 25—26. (v. Dillenb. ann.) IV, 4, 25. IV, 9, 28.

v. 18. vocabulum „arbor", in capite versus positum, et cum superioribus et cum inferioribus verbis decussatim conexum est:

„Pone me *pigris* ubi nulla *campis* arbor *aestiva* recreatur *aura*.

Cf. P. II. B. No. **10.** Peters. p. 19. No. 5. extr.

v. 19. „ . . . . . malusque
Iuppiter . . . . . .“

v. 21. „ . . . . . nimium propinqui
Solis . . . . . .“ Cf. P. II. B. No. **13.**

v. 23—24. epizeuxis cernitur:
„Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.“ Cf. P. II. B. No. **2.**

Postremo ne hoc quidem neglegendum est, compluribus locis vocabulum aliquod gravioris momenti inter duo alia positum esse, quibuscum necessario cohaeret. Cf.

v. 3. „venenatis gravida sagittis.“
v. 5. „per Syrtes iter aestuosas.“
v. 10. „dum meam canto Lalagen.“
v. 11. „curis vagor expeditis.“ *)
v. 22. „terra domibus negata.“

Cf. P. II. B. No. **11.**

Quae quum ita sint, quum et codices carmen integrum exhibeant neque in argumento gravior insit difficultas et forma carminis Horati consuetudinem dicendi maxime sapiat: conclusionem facio, ab Horatio carmen esse compositum atque Diomedem grammaticum erroris convincendum censeo. Quod idem Gruppius arbitratur, qui dicit: „Das Gedicht kann, ohne an Rundung und Fülle zu verlieren, keine Strophe, keine Zeile entbehren.“ (Cf. „Minos“ p. 78. 80.)

B. De carm. III, 8. disputatio.

De carmine III, 8. („Martiis caelebs quid agam calendis...“) Peerlkampius hoc fecit iudicium: „carmen est poëtae balbutientis, qui colorem quendam Romanum simulat, sed levem illum et fucatum. Videtur thema esse grammaticum: Horatius Maecenatem Kalendis Martiis invitat.“ — Ab Horatio igitur abiudicat. Quae sententia Gruppio comprobatur (cf. „Minos“ p. 74.): „Ich stimme Peerlkamp völlig bei, dass die Ode, deren letzte Strophe schon Guyet verdächtig schien, in ihrem ganzen Inhalte so leer und matt ist, dass es schwer wird, sie Horaz und überhaupt einem Dichter zuzuschreiben.“ — Alii interpretes nonnullos tantum carminis locos impugnarunt; velut postremam stropham Mei-

*) „expeditis“ legendum esse, bene ostendit Orellius.

nekius et Linkerus, exemplum Guyeti secuti, damnaverunt; Lehrsio v. 5. v. 16. et vv. 25—26. displicent. — Contra Wendelius (l. c. II. p. 59.) ita iudicat: „Herr Kannegiesser hat bereits Anmuth und Schalkhaftigkeit als Hauptvorzüge dieser Ode angegeben, womit wir nicht anders als einverstanden sein können . . . (ibidem p. 61.): Eine Gleichartigkeit des Tones und Stiles durch die ganze Ode zeugt von der technischen Meisterschaft unseres Dichters. Nicht allenthalben ist er seines Stoffes so Herr geblieben, als hier und nicht überall verfliesst der Inhalt so schön in das Metrum, als hier. Herrlich ist die Gnome für alle Zeiten:

„Dona praesentis cape laetus horae
Linque severa!"

Qua in varia opinionum discrepantia ut disceptationem aliquam probabilem exquiramus, eandem quam supra iudicandi viam ingrediamur.

Kellero et Holdero testibus codices omnes carmen habent ac quidem inscriptione „Ad Maecenatem" praeditum. Quorum fides sustentatur testimoniis Servi (ad Virg. Aen. VIII, 638.), Donati (ad Ter. Eun. III, 2, 25.), Prisciani (XVII, 161.) qui complures huius carminis locos eosque Horatianos commemorant. Diomedes grammaticus in catalogo suo p. 525. haec dicit: „Prima ode tertii libri (— Diomedes complectitur sex prima carmina —) Alcaicum metrum habet, secunda ode („Quid fles Asterie . . . ." — quod carmen in editionibus est septimum tertii libri) Asclepiadeum metrum habet, **tertia** ode („Donec gratus eram tibi" — in editionibus carmen nonum) Asclep. metrum habet, **quinta** ode („Extremum Tanain . . . . . ." — in edition. carmen decimum) Asclep. metrum habet." — Quis non videt errorem Diomedis? Enumeravit primam, secundam, tertiam, — quintam oden; **quartam** omnino transiliit. Atque hanc quartam oden carmen fuisse „Martiis caelebs . . ." sine ulla dubitatione contendere possumus. Keilius annotat, lacunam etiam esse in uno codice Diomedis et addit: „Excidit descriptio carminis octavi, quod omissis carminibus 2, 3, 4, 5, 6 post nonum carmen transpositum pro quarto numeratum fuit." — Quare quum Diomedem errore non esse liberum iam in carm. I, 22. ostendisse mihi videar, eius addubito atque examinabo tacitum de hoc carmine iudicium, rationem illam Gruppi secutus, quam p. 24. laudavi. — Namque quum veteres communi fere atque constanti sententia Horatio carmen vindica-

verint, eorum mihi plus valere videtur iudicium, quam unius Diomedis auctoritas. Neque in argumento aut compositione carminis quidquam equidem inveni, quod indignum Horatio censeam.

Peerlkampius neque rerum ac temporum condicionem respexit, neque animi commotionem intellexit, quibus impulsus Horatius carmen conscripsit.

Cadente arbore quum paene oppressus olim esset Horatius, sed divina manu mire servatus (cf. II, 13. II, 17, 27.), deis, quorum saepe expertus esset auxilium (cf. I, 22. III, 4, 9—28.), grata mente ac pia conservationis suae memoria quotannis hostias se immolaturum, voverat (III, 8, 6—8. II, 17, 30—32.). Iam redeunte fatalis rei die quum sacrificium anniversarium appararet, Maecenas, quem ad epulas cum sacris celebrandas invitaverat, miratus advenit, cur hoc potissimum die, Matronalibus, caelebs amicus sacros apparatus et coenam institueret. Fortuito enim evenerat, ut Horatius, ipso Matronalium die in periculum illud adductus, hoc maritorum dumtaxat die festo, quamquam caelebs, privatus tamen domi sacra faceret. Quam praeclara iocandi cum Maecenate occasio! Maecenatem enim, qui fortasse non iam certo meminisset atque reminisceretur, quo die quoque temporis puncto casus ille amico accidisset, consulto, quum invitaretur ab Horatio, de ratione sacrifici celatum esse, haud temere suspicari possumus, quum praesertim hoc anno Horatius primum sacrificium institueret. Maecenatis igitur mirationem quum animo praesensisset, intrantem stupido vultu domum lasciva excipit interrogatione: „Quid? hoc tu ignoras, amice doctissime, quid ego, quamquam caelebs, Martiis agam Kalendis, quid velint flores . . .?“ Namque bene sciebat, Maecenatem non aegre ferre hanc iocationem, qua amico amici sincera familiaritate oblivionem obiiceret; imo Maecenati risum se excussurum eiusque exhilaraturum esse negotiis atque curis nimis repressum animum, certo confidebat. Atque ipse sibimet laete interroganti amicum respondet: „Voveram dulces epulas . . . . .;“ omnem amico, necopinatae rei miratione occupato, loquendi occasionem praecipit; instantibus precibus eum comiter, ut una secum diem festum celebret, rogat ac retinet. — Quid pulchrius?

Carmen ex animo Horati profluxit pio illo et grato erga deos, Maecenati fervido amore dedito, a ioco vitaeque iucunditatibus minime alieno. Ac tale carmen indignum putemus Horatio? — Quum argumento praeclarum, tum forma praestantissimum est.

Iam Peerlkampi singula perlustremus argumenta.

Ad v. 5. annotat: „Haec longius separata sunt a nomine Maecenatis neque cum reliqua oratione cohaerent. Et qua doctrina opus erat, ut homo Romanus sciret, quid essent Matronalia (!), quae quotannis redibant. Si vero ad id sciendum requireretur doctrina, cur Graeca?“

Primum Peerlkampi argumentum nullum est; nam Maecenatis nomen omnino nihil ad rem; Horatius amicum alloquitur ioculari nomine „docte“ („Du gelehrtes Haus“) *). Cur vero Maecenatis nomen in v. 13. demum posuerit poëta, infra (p. 39) ostendam; Peerlkampius Horati artificium ignoravit. — Ac ne facetias quidem intellexit poëtae. Idcirco enim, quia nulla, minimeque Graeca requiritur doctrina, urbana cum dicacitate ioculatur in multiplicem variamque doctrinam amici. **) Neque quidquam offensionis habent verba, si cum Bentleio „sermones“ legimus et „litteras Graecorum et Romanorum“ intelligimus. Denique si signum interrogationis subiicimus, optime cum reliqua oratione cohaerent. Verba enim „voveram . . . . .“ sunt responsum, quod ipse Horatius sibimet interroganti miratoque amico reddit, neque melior sententiarum copulatio potest esse, quam nulla, quam abrupta. Scribendum est:

„ . . . . . miraris . . . . . .
. . . . . .
Docte sermones utriusque linguae? —
Voveram . . . . . .“

atque vertendum:

„Du wunderst dich, du gelehrtes Haus, was ich Junggeselle heute mache? — Ich hatte dem Liber ein Böckchen gelobt, damals, als mich der Fall des Baumes beinahe erschlagen hätte. Dieser Tag soll alljährlich . . . .“

v. 7. funeratus. Peerlkampius: „nova et adhuc inaudita significatio.“ — Atqui perspicua („sepulcro traditus“ — Ritter) neque poëta indigna; minime vero causa tam gravis, ut una carminis infirmare possit auctoritatem Horatianam.

v. 14. Centum cyathi. Peerlkampius: „Sobrium hominem!

*) Sunt alia quoque participia, quae substantivorum vi utuntur, velut „litteratus, advocatus.“

**) Cf. etiam ad h. l. Orelli et Dillenb. ann.

Numerus certus pro incerto dicunt antiqui scholiastae. Metrum, credo, fecit.“ — Num tanti est superlatio, ex animi mera laetitia prorumpens? Cogitat Horatius: „Dulce est, desipere in loco.“ Cf. quae Acron annotat: „Verbo usus est convivarum: centum cyathos!“ Recte Bentleius, nisus illo Ovidi loco, Fast. III, 531:

„Sole tamen vinoque calent, annosque precantur,
Quot sumant cyathos, ad numerumque bibunt“,

interpretatur „centum cyathos sume et totidem amico sospiti precare annos!“ — Peerlkampius de industria difficultates quaerit.

v. 15. Perfer lucernas vigiles in lucem. Peerlkampius: „Male latine dictum. Perferimus lucernas nimium splendentes, ipsi oculis non adeo firmis, vel perferimus lucernas male olentes. Aliam notionem perferendi hic ignoro.“ — Peerlkampius igitur vocabulum perferendi h. l. notionem non habere existimat, nisi „patiendi.“ Sed monendum, hanc vocis significationem omnium esse novissimam, quascumque ei optimi tribuerunt scriptores. Primaria et peculiaris significatio est: „portare seu ducere aliquid ad locum aliquem certum.“ Et hanc quidem notionem hoc quoque loco vocabulum obtinet. Nam lucernae dicuntur pro luminibus, quae usque ad mane poëta amicum iubet extendere atque producere. Imagine igitur hanc expressit cogitationem: „Sine, ut perducatur seu continuetur convivium usque ad primam lucem et nobiscum mane, donec finitum sit.“ (Orellius.) Scholiasta explicat: „ducamus insomnem noctem.“ — Etiam haec est poëtae iocosa superlatio. — Ceterum duo Bentleii codices (Regin. et Magdal.) exhibent „profer“, quam lectionem ambiguitatis causa minus accommodatam esse putat; de scriptura „perfer“ nihil addubitat. — Qui vult, potest intelligere poëtam.

v. 15—16. Procul omnis esto clamor et ira. Peerlkampius: „Inter Maecenatem et Horatium? Nam de aliis convivis nihil legimus neque ex carmine vel suspicamur plures interfuisse.“ — Lehrsius: „Das ist ja unter den gegebenen Umständen unsinnig. Von wem ist denn da Prügelei zu fürchten? Der richtige Vers muss verloren gewesen sein. Ich habe geschrieben „procul omnis esto cura futuri.“ — Nihil minus verba Horati continent, quam ineptias ac verbera. Clamor est „laute, lärmende Rede“, ira „Heftigkeit, Ereiferung“, clamor et ira „lauter, hitziger Disput.“ — Finge igitur Horatium et Maecenatem, dextram dextrae iungentes, utrumque polita morum elegantia animoque a delecta-

tione dissoluta aversissimo, eundemque Horatium asseverantem amico: „Age, Maecenas, gaude mecum; fortiter bibe ac secure; nihil enim timendum; procul omnis esto clamor et ira!“ — num gratam hominis urbani lasciviam ignoras? num Horati animum ad iucundam hilaremque iocationem propensum? Perquam sterilis atque ieiuna mihi videtur Peerlkampi et Lehrsi sententia. Neque alteram satis demirari possum frigidam et longe petitam aliquot interpretum (Medenbachi, Lübkeri, al.) explicationem: „Ne clientes tui, quorum mens est in querelis ac litibus suis, hoc geniali die te occupatum teneant mihique denegent.“ — Lehrsi coniectura supervacanea est et improbanda.

v. 25—26. Negligens ne qua populus laboret . . . Peerlkampius: „Haec tam futilia sunt, ut et nonnullis interpretibus summopere displicuerint, et Guyetus deleverit. Negligens intellectu difficile. Et quaerere libet, an una haec coena tantam postulet negligentiam. Populus laborabat scilicet, si Maecenas per horas aliquot mitteret curas civiles: Iam Maecenas, praefectus urbi, non recte dicitur privatus.“ — Totam stropham (v. 25—28.) Meinekius et Linkerus reiecerunt. — Lehrsius dicit: „Iedenfalls sind die beiden ersten Zeilen ohne Sinn; die beiden letzten sind gut und geben einen recht passenden Schluss.“ — Videamus, num futilia sint verba poëtae.

Bentleius, comparato carm. I, 28. v. 30. „negligis committere fraudem“, cum scholiasta explicat: „securus, non timens, ne qua . . . .“ Haud ita recte; neque enim timendi notio latet in voce negligendi. Sed haud insolita vocabuli significatio est: „parvi ducere aliquid“ (cf. Lexic. Georgis.), quam illo etiam loco a Bentleio allato habet. Neque alia est h. l. verbi significatio; „negligens“ = parvi aestimans. „Ne qua“ autem coniunctio, antecedente videndi, tentandi, reputandi vocabulo, idem valet, ac „num qua“ = ob etwa. *) — Explicandus igitur est v. 25: „Parvi aestimans, num qua (scil. parte) populus laboret“; i. e. „Pro tempore, dum laetus mecum versaris, noli magni facere, num qua . . . .“

Versum 26. Bentleius interpretatur: „noli de privatis tuis et

*) Cf. „videamus, ne beata vita effici possit.“ — „qui, ne quod telum occultaretur, exquirerent.“ — „cogitandum sit, ne tutior non sit.“ Cic. — v. Georgis Lex.

domesticis negotiis nimium providere, noli de re familiari nimium attentus atque anxius esse.“ — Quam sententiam uni vocabulo „privatus“ vix subiectam esse arbitror. Sed est alia verborum explicatio in promptu. — Quaeritur, quid sit „privatus.“ — Orellius, Ritterus, Dillenburgerus, Hoeckius („Röm. Gesch.“ I, p. 312), alii negant Maecenatem praefectum urbi unquam fuisse; curam rerum civilium extra ordinem a Caesare accepisse; etiam modesto privati nomine ipsum Maecenatem interdum de se usum esse. Ad haec omnia confugiendum esse non censeo. Constat enim, Maecenatem rebus publicis curam tribuisse quam maximam; cur tandem dixerit Horatius „mitte civiles super urbe curas“ (v. 17.)? Sed hoc nihil ad rem. Vera poëtae sententia haec mihi videtur: „Privatum te nunc puta, amice, totumque te mihi trade; mitte paulum, dum convivamur, civiles curas!“ — Namque „parce nimium cavere“ est „noli nimium cavere.“ *) — Sed cui cavere? Populo! Facile unusquisque ex superioribus verbis „negligens ne qua populus laboret“ hunc dativum mente addit. Extrema igitur carminis stropha repetitionem complectitur adhortationis „mitte civiles curas“ (v. 17.) eamque aptissimam.

Ceteris Peerlkampi argumentis breviter respondebo. — „Quaerere libet, an una haec coena tantam postulet negligentiam.“ — Quid hoc? Quanta, quaeso, est tandem Maecenatis negligentia aut quantam Horatius voluit esse? Negligentia maior minorve nihil ad rem; namque ut paullisper prorsus obliviscatur rerum civilium, Horatius amicum monet (cf. v. 27—28.). — Omninoque intelligere nequeo, qua tandem in re haereat Peerlkampius, quum dicit: „Populus laborabat scilicet, si Maecenas per horas aliquot mitteret curas civiles.“ Quorum verborum equidem acumen mente non concipio; neque enim tangunt Horatium, cuius sententiam Peerlkampius non perspexit. Minime curabat poëta populi laborem, quem, si quis erat, minuere nec voluit nec potuit. Maecenatis curas per horas aliquot depellere eiusque animum studebat levare, id quod bene se consecuturum esse, bono animo sperabat.

Ea est inepta et futilis Peerlkampi sententia neque noto eius acumine digna.

Restat, ut de forma carminis pauca dicam, quod „colorem

*) Cf. Virg. Aen. III, 42. „parce pias scelerare manus.“

quendam Romanum simulare", contendit Peerlkampius, „sed levem illum et fucatum."

De praeclara carminis oeconomia, ex septem strophis compositi atque in duas partes divisi, quae media stropha optime coniunguntur, cf. Dillenburgeri luculentam annotationem. — Quae carminis conformatio quomodo fugisse potuerit Peerlkampium, non capio. Neque Horati miram componendi artem, in quarta stropha positam, animadvertit. Quum enim sit omnium media, hoc loco illustri poëta sollemnis sacrifici artificiose indicavit causam amicique commode intexuit ad concelebrandum invitationem. Ea etiam est causa, cur hoc ipso versu (13.) nomine appelletur Maecenas (c. p. 35). Omnem vero sententiarum vim positam vides in vocabulis „amici sospitis", ex Horati more ita distributis, ut alterum finem versus prioris, alterum posterioris caput obtineat. (Cf. P. II. B. **13.**)

Complures praeterea verborum ordines in carmine inveniuntur, qui peculiarem scribendi consuetudinem Horatianam omnino redolent. Cf.

v. 1. „Martiis caelebs quid agam Kalendis" (cf. P. II. A. **3.** c.).

Lepida simul antithesis cernitur inter vocabula „Martiis" et „caelebs".

v. 5. Periodus primo sequentis strophae versu concluditur. (P. II. B. No. **15.**)

v. 9. „Hic dies *anno redeunte* festus."

v. 21. „ . . . . . Hispanae *vetus hostis* orae." (P. II. B. No. **9.**)

v. 19. Exemplum constructionis *ἀπὸ κοινοῦ* quae vocatur:

„ . . . . infestus sibi luctuosis armis."

v. Dillenb. ann. Cf. P. II. B. No. **14.**

v. 19—20. „Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis."

(P. II. B. No. **12.**)

v. 22. „Cantaber *sera* domitus *catena*."

v. 23. „Scythae *laxo* meditantur *arcu*."

(P. II. B. No. **10.**)

v. 27. Chiasmus:

„Dona cape — linque severa."

(P. II. B. No. **7.**)

Vocabula „dona“ et „severa “alterum in initio, alterum in exitu enunciati ac versus collocata. (P. II. A. 1. b. — 2. a.)

Num igitur color carminis Romanus (vel Horatianus) levis est et fucatus?

Quare quum carminis auctoritas Horatiana codicibus ac testimoniis comprobetur neque argumenti difficultatibus infirmetur, formae vero elegantia admodum fulciatur: eos equidem errasse arbitror, qui carmen ab Horatio seu tacite seu aperte abiudicaverunt.

Haec habui, quae de carm. I, 22. et III, 8. contra Peerlkampi et Lehrsi sententiam dicenda putarem. Horati singulares sunt in exercenda arte poëtica virtutes; neque tamen errores et vitia prorsus vitata, sed leviora illa quidem elegantique orationis ornatu callide et artificiose tecta. — Maiorem igitur, quam fere fit, poëtae componendi ac poliendi arti et studio in iudicandis eius carminibus tribuendam esse operam, haud immerito mihi videor contendere.

Pars IV.

Annotationes.

Haud poenitebit, hac extrema dissertationis parte aliquot scriptorum Latinorum carmina, metris Horatianis composita, strictim attigisse, ut pluris etiam Horati carminum bene conformandorum virtutem aestimemus et, quantopere ceteris poëtis excellat, videamus. — Etenim inveniuntur quidem in eorum carminibus quaedam verborum collocationes ab Horatio frequentatae, sed casu vel ipso metro fere praebitae neque cum ingeniosa artificis ratione quaesitae.

1. Apud Catullum *) venusti neque difficilis vocabulorum ordinis exempla haec invenies:

Carm. XI, 10:

„Caesaris visens monumenta magni."

LXI. 66:

„Nulla quit sine te domus
Liberos dare."

Carm. XXXIV, 5—8:

„O Latonia *maximi*
Magna progenies *Iovis*,
Quam mater prope Deliam
Deposuit olivam."

(P. II. B. No. **12.** et **13.** extr.)

LI. [a] 1—2:

„Ille mi par esse *deo* videtur,
Ille, si fas est, superare *divos*."

(P. II. B. No. **2.**)

XVIII: „Hunc lucum tibi dedico consecroque Priape
Qua domus tua Lampsaci est quaque silva Priape."

(P. II. B. No. **1.**)

*) Cf. edit. Ludow. Schwabi. Giessae 1866.

IL: „ . . . . . Marce Tulli
. . . . . .
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, pessimus omnium poëta,
Tanto pessimus omnium poëta,
Quanto tu optimus omnium patronus."
(Cf. l. c.)
LI. b.:
„Otium, Catulle, tibi molestum est;
Otio exsultas nimiumque gestis.
Otium et reges prius et *beatas*
Perdidit *urbes*."
(P. II. B. No. **3.** et **12.**)
LXI. 31—32:
„Ac domum dominam voca
Coniugis cupidam *novi*."
(P. II. B. No. **1.** ann. — No. **10.** — A. **3.** c.)
v. 44—45:
„Dux bonae Veneris, *boni*
Coniugator *amoris*."
(P. II, B. No. **2. 12. 13.** extr.)

Sunt haec speciosae verborum circumscriptionis exempla, sed pauca neque laboriose expetita. Neque vero eisdem verborum figuris ubique Catullus artificiose usus est, ut ornatu rhetorico orationis maiorem reddat gravitatem. — Cf.
XI, 22; „ . . . . . velut prati
Ultimi flos . . . . . ."
XXXIV, 12—14:
„Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis."
LXI. 36. 151. 224. 226. 228. 232. cet.
LXI. 101. 106. 204. cet.

Omnibus his locis neque magna vis est orationis, neque idonea ad augendam vim vocabulorum compositio. — Ceterae verborum figurae, Horatio usitatae, apud Catullum, nisi me oculorum fefellit error, non inveniuntur. Sed videbis in carmine eius LXI. versus, qui dicuntur, intercalares. Velut
„Collis o Heliconii
Cultor, Uraniae genus,

Qui rapis teneram ad virum
Virginem, o Hymenaee Hymen,
Hymen o Hymenaee!“ (Saepe repetitur.).

v. 64. 69. 74:

„ . . . . . Quis huic deo
Compararier ausit?“

v. 95. 100. 110. 120:

„Prodeas nova nupta.“

Aliis autem locis rigida atque impolita est oratio. Cf. XXXIV, 19—20. LXI, 12—13. 17—19. XI, 11. LXI, 46. 86. LXI, 91—93.

Iam intelligitur, in elaborando leni atque expedito verborum cursu concentuque metrorum et sententiarum efficaci nec tam subtile fuisse studium Catulli, nec tam varium, quam Horati.

2. Idem fere de Prudentio praedicari licet, cuius in carminibus passim orationis color Horatianus pellucet. Neque tamen verborum figurae, dispersae quidem illae, magis studio artificioso sedulitatique poëtae curiosae, quam casui cuidam felici deberi videntur. Haud iniuria Prudentium carminum Horatianorum formam elegantem sensu gustasse neque sine collaudanda componendi facultate eorum exemplar imitatum esse suspicaberis; sed non aequavit arte Horatium, qui certis atque severis scribendi legibus semet ipse obstringens hac ipsa libertatis circumscriptione ingenique vi summam scribendi venustatem assecutus est. Cf. Peristeph. IV, 133: *)

„Invidus quamvis obitum supremum
Persecutoris gladius negaret.“

(P. II. A. **1.** b.)

Cathemer. V, 87:

„Securus pateat te duce transitus.“

VIII, 2: Mollibus . . . . . catenis.“

(P. II. A. **3.** c. — B. No. **11.**)

Cathemer. V, 15. 17. („vivax flamma viget“) 43. VIII, 1. Perist. IV, 5. cet. alliteratione usus est poëta.

Epizeuxis et anaphora invenitur in cathem. V, 151—152. 153. („lux“.) 154. VIII, 40—41. („reddit“). Perist. IV, 117. („vivis“.) 185—187. („ambo“).

Duo vocabula inter se coniuncta utrumque in fine duorum

*) Cf. edit. Dresseli. Lipsiae 1860.

versuum collocatum vides in Cath. V, 29. VIII, 35. 39. 46. 48. 75. Perist. IV, 1. 195. cet. alterum in capite, alterum in exitu versus Cath. V, 145—146:

„Credas stelligeram desuper auream
Ornatam *geminis* stare *trionibus*."

VIII, 63. 67. Perist. IV, 7. 12. 65. 66. 87. cet. utrumque in initio versuum Cathem. VIII, 11—12. 51—52. Perist. IV, 119.

Vocabuli alicuius interpositio: Cath. VIII, 45. „frequens palmis nemus", Perist. IV, 37. „Lusitanorum caput oppidorum", cet. cet.

Vocabula decussatim distributa:
Cath. V, 1:

„Inventor *rutili*, dux bone, *luminis*."

ibid. 4. 15. 19. 53. 108. cet. cet.

His aliisque locis verborum compositio orationis gravitati et elegantiae nonnihil inservit.

3. Contra Iacobus Balde, poëta nostras, felicissimus Horati imitator est quum in rerum ingenioso delectu, tum in carminum forma venusta, stropharum ac versuum facili compositione, singulis denique verbis artificiose distributis. Cuius existimationis partem alteram nonnullis exemplis, ut prima forte occurrerunt, comprobare iuvat. Cf.

a. Carm. I, 1, 43. *) „toto . . . . impetu."
I, 3, 7. „ . . . . . tyranno
Fortior . . . . . ."
III, 36, 1. „Lethe . . . Styx."
IV, 26, 25. „Auri nulla fames, nulla sitis lucri."
IV, 30, 13—16. „ . . . . . Qualis unda
Ante se motam pede trudit undam,
Talis impellit nova semper horam
Hora sororem." (Chiasmus.)
I, 3, 19. I, 32, 2. IV, 7, 5. cet. cet. — (v. P. II. A. **3.** c.)

b. Epizeuxis et anaphora:
I, 19, 5—7. („pone"). 33. („magnus" — in fine versus et caesura). I, 35, 2—4. („vince" — in capite et fine versus). 37. („ve-

*) edit. F. Hipleri. Monasterii 1856.

stra“ — item). II, 4, 5. 9. 11. („illum“). II, 28, 6. („Francia, Francia“). III, 29, 21. 25. 31. („tu“) 35—36. („digne“). IV, 1, 13. („deus“). IV, 21, 21. („vivit“ — in initio et exitu versus). IV, 44, 1—2. („vidi“ — in diaer. et caes.) 6. („vidi“ — in caes.) 7. („vidi“ — in fine versus) 10. („vidi“ — in capite versus). cet. cet.

c. Carm. I, 1, 40—41:

„ . . . . . integram
Sedem praebet humi nec violabilem.“

IV, 1, 91—92: „ . . . . . iustas
. . . . . iras.“

IV, 13, 15—16: „ . . . . . uno
. . . . . loco.“

I, 2, 43. 71. I, 3, 15. 31. IV, 1, 99—100. 139—140. cet. cet. (P. II. B. No. **12**.)

d. Carm. III, 15, 17.: „ . . . . Celebrate laeti
Cives patronam.“

IV, 19, 1—2: „Noli beatum dicere divitem
Quemcunque . . . . . .“

IV, 49, 5: „ . . . . . sacro
Dolore . . . . . .“

cet. — (P. II. B. No. **13**.)

e. Polysyndeton: Carm. I, 3, 9—12, multisque aliis locis.

f. Quatuor vocabulorum bina et sensu et numero conexa:

I, 32, 9: „dies *vitae sapientis* una.“

I, 2, 2. 35—36. III, 1, 23—24. cet. — (P. II. B. No. **9**.)

g. Carm. I, 3, 28:

„Ipse *suam* petiit *securim*.“

II, 38, 49: „virga *Iessaeo* generata *fundo*.“

IV, 4, 2: „virgo *Davidicis* edita *regibus*.“

I, 1, 14. I, 2, 66. I, 3, 5. IV, 26, 1. cet. — (P. II. B. No. **10**.)

h. Idem verborum ordo repetitus:

IV, 45, 27—28:

„Auriga curru, nauta remo
Miles equo properant ad orcum.“

cet. (P. II. B. No. **8**.)

i. Vocabulum aliquod duobus coniunctis cinctum:

II, 33, 16: „mors . . . nullo mobilis ordine.“

III, 4, 28: „o tenebrae, mea lux, amicae.“

I, 3, 4. II, 33, 20. 28. cet. (P. II. B. No. **11**.)

k. Periodus in primo sequentis strophae versu conclusa:
II, 15, 25: „Demersit alto."
II, 17, 21: „Servavit."
II, 30, 9: „Invita prodit."
III, 29, 9: „Innube verum."
III, 29, 17: „De luce lucem?"
III, 47, 25: „Immittit astris."
II. 17, 17. II, 34, 21. II, 41, 9. cet. (P. II. B. No. 15.)

l. Versus e carminibus Horatianis deprompti:
II, 15, 11: „Dulce est, desipere in loco
Factis quisque suis clamat Horatius."
II, 12, 1: „Miserarum est neque amori dare finem
Neque . . . . . ."
III, 2, 1: „Montium praeses nemorumque virgo."
III, 4, 95: „ . . . . . Necte, Christe,
Necte tuae violae coronam."
III, 6, 14: „ . . . . . Desine tristium,
Vogti, quaerelarum . . . . ."
III, 29, 2: „O matre pulchra parvule pulchrior."
cet. cet.

Quam egregiam componendi artem poëtam nostrum non sine iudicio, tanquam operariorum cum habilitate atque sedulitate ab Horatio surripuisse, sed ingeni magna cum sollertia atque dexteritate exercuisse, facile intelliges, si vel unum locorum laudatorum subtilius examinaveris. — Memorabile et tali virtute dignum epigramma Christophorus Bechtlin Iacobo Balde condidit:

Lusisti, Iacobe, lyra, nec dulcius unquam
Phoebeum digitis impulit ullus ebur.
„„Quisquis hic est, (regeres quum fila sonantia) Flaccum
E tumulo revocat"", dixit Apollo, „„meum"".
Risi; „quique lyra potis est sic ludere", dixi,
„E tumulo Flaccum non revocat, sepelit."

Quamquam nec sepelivit nec sepeliet Baldius Horatium; namque auctore non est maior aemulus. Ne praestantissima quidem Baldi carmina ea compositionis modulatione utuntur, qua Horatius aures gratissime permulcet. Sed perspexit Baldius Horati summam virtutem eique iustam tribuit et meritam operam atque aestimationem.

Neque memet fructum satis uberem ex hisce studiis percepisse abnuerim, si quae exposui rerum peritis probata videbo; magnumque mihi erit incitamentum virorum doctorum approbatio, occasione oblata etiam de sententiarum figuris Horatianis aliquot in medium proferendarum quaestionum.

Scripsi Rheinae mens. Dec. a. MDCCCLXXII.

Index.

Praefatio . . . . . .

Pars I.

Generale de Horatio poëta lyrico iudicium; enarrandorum carminum rationes . . . . . .

Pars II.

De verborum collocatione in Horati carminibus usitata.

A. Singulorum vocabulorum locus . . . . . .

B. Verborum figurae Horatio usitatae . . . . . .

Pars III.

Carminum I, 22. III, 8. defensio.

A. De carm. I, 22. disputatio . . . . . .

B. De carm. III, 8. disputatio . . . . . .

Pars IV.

Annotationes.

Disputatur de Catullo . . . . . .

de Prudentio . . . . . .

de Iacobo Balde . . . . . .

Lh 9.605
Quaestiones horatianae quum de carm
Widener Library
006820618
3 2044 085 204 592